et in puritate seruauit. et tu facias ei iuxta misericordiam tuam. sicut indignatus
es facere seruo tuo: propter uerbum tuum. et secundum cor tuum fecisti omnia magnalia
haec. propter uerbum tuum quod promisisti abraham. ysaac. et iacob. fecisti haec omnia
in seruo tuo. Quod dicit secundum cor tuum. intellegitur secundum misericordiam tuam. Quia
non est similis tui. neque enim est deus extra te. in omnibus quae audiuimus auribus nostris.
A facie populi tui quem redemisti ex egypto gentem. et deum eius. hebreus sic.
gentibus et diis earum. Et est sensus. A facie populi tui quem redemisti tibi ex e
gypto. de diis scilicet egyptiorum. quos in mari rubro peremisti. et diis earum
in quibus iudicia fecisti. Quia tu domine deus exercituum deus israel reuelasti aurem
serui tui. dicens. domum edificabo tibi. propterea inuenit seruus tuus cor
suum. ut oraret te oratione hac. Aurem eius dominus per prophetam reuelauit.
se illi domum edificaturum. idcirco dauid inuenisse se dicit cor suum. id est in
uenit audaciam in corde suo. ut oraret eum oratione hac. Factum est
autem post haec. percussit dauid philistiim. et humiliauit eos. Et tulit dauid frenum tri
buti. de manu philistiim. frenum tributi uocat. erant ciuitates philisthinorum.
quae frequenter israel sibi tributarium faciebant. quas eis tulit dauid. et humiliauit
eos. fecitque sibi tributarios. Unde et in paralipomenon legitur. Percussit dauid
philistiim. et humiliauit eos. et tulit geth. et filias eius. de manu eorum.
Fecitque sibi dauid nomen. cum reuerteretur capta syria. Fecisse sibi nomen dicitur quod
in ualle salinarum caesis xviii. milibus. erexit sibi fornicem triumphalem.
Et si quem mouet. quod in plerisque latinorum codicibus inuenitur. dauid non xviii.
milia. sed xii. cecidisse. nouerit hoc uitio scriptorum inditum esse. Uerumtamen dauid
in eadem ualle salinarum xviii. milia cecidit. ioab uero xii. milia. sicut
in titulo lviiii. psalmi scribitur. Dixitque siba ad regem. Sicut iussisti
domine mi rex seruo tuo. sic faciet seruus tuus. et miphiboseth comedet
super mensam tuam. Notandum quod in hebreo super mensam meam legatur. quia in hoc
loco defectus est. et necessaria subauditio. Cum enim dixit siba. sicut iussi
sti domine mi rex seruo tuo. sic faciet seruus tuus. subaudiendum est
dauid dixisse. Et miphiboseth comedet super mensam meam. quasi unus de filiis
regis. Dixitque dauid. faciam misericordiam cum anon filio naas. sicut fecit pater eius
mecum misericordiam. Cum fugeret dauid a facie regis geth. uenit ad naas re
gem ammon. qui fecit cum eo misericordiam. multa ei impertiens bona. De na
as itaque uenit in speluncam odollam. quo uenerunt ad eum pater eius. et mater. et
omnis domus eius. Inde peruenit ad moab. et dimisit apud eum patrem. et ma